

gis placet, quod *Slichtingius* externa pietatis specie ac forma variasque per artes irrepere, versu §. præeunte asserit.

§. *XIV.* Non vero sufficit dolosis hisce seductoribus in domos alienas se ingerere, sed imposturas quoque ibi exercere student eosque, in quorum domos irreperunt, captivare. Id quod 2.) monet Apostolus in seductoribus observandum, quando *αἰχμαλωτεύοντας* sive, ut cum *Aria Montano Grotius* legit, *αἰχμαλωτίζοντας* illos vocat, *captivantes* seu *captivos ducentes*. Egregie prorsus sic nominari & per hic opportune verbum hoc applicari bis jam citatus tradit *Grotius*. Cum enim vocem hanc ab eodem Paulo plus simplici vice, præsertim vero *Rom. VII, 23. 2. Cor. X, 5.* adhibitam legat, respicit has loquendi formulas & ex collatione eorum τὸ αἰχμαλωτίζειν ita explicat, ut *obnoxios sibi doctrinis suis* cum theoreticis tum practicis *facere*, atque ita captivare statuatur, quorum in domos subeunt, *quasi verbo capti essent*. Quæ explicandi ratio confirmari quoque videtur a *Guilielmo Estio* (q) qui itidem captivari homines ab hæreticis ita putat, ut eos sibi doctrinis suis obnoxios faciant & velut captivos quolibet ducant. Cum enim, inquit, doctores illis se profiteantur, variaque verborum lenocinia adhibeant, facile decipiunt homines & sexum præsertim debiliorem. Adeo hæc interpretatio placet, ut omnibus ferme, ipsisque heterodoxis interpretibus non displiceat. Nec etiam recedit ab illa *Socinianorum Slichtingius*, sed, ut in prioribus fecit nobiscum, ita & hic consentire videtur scribens, obnoxios sibi & suis dogmatibus reddidisse homines, in quorum domos subreperunt, *malitiosos impostores*.

§. *XV.* His jam ad Apostoli mentem perspectis, progredimur eadem regula ducti ad *personas*, quibus se applicare solent nequissimi mendaces. Dicuntur ex proxime *γυναικῆρα*, *muliercula*, quæ sexus sunt infirmior & novarum rerum valde

B 2

curio-

(q) *Comment. in Epistolas omnes Paulinas ad cap. III. Ep. II. ad Tim.*